

neque in dubio facti, debet quis condemnari pro irregulari, cum sit irregularitas pœna ordinaria imposita pro delicto certo, & determinato.

35 Possessor rei, si dubitet an res sit sua, vel aliena, an sit possessor bonæ, vel malæ fidei, dependet à diligentia habita in inquirenda veritate, vel negligentia, quatenus scilicet negligeret inquirere, undè confiderandus est talis possessor in triplici circumstantia. Primò statim ac incipit dubitare, ante uam, vel diligentiam faciat, vel negligentiam incurrat, & tunc nec bonæ, nec malæ fidei est possessor, & in hoc sensu loquitur *glos. in l. prima C. de acquire. poss.*, & *in l. 3. §. ex pluribus ff. de acquir. poss.*, ubi *Fason. num. 8.*, *Felin. c. ult. num. 9. de præscript.*, *Covar. reg. possessor. 2. p. §. 7. num. 3.*; Si verò post dubium negligat inquirere veritatem, censetur possessor malæ fidei, at si utatur omni possibili diligentia, licet remaneat adhuc dubius, etiam si videatur magis urgere aliqua ratio in contrarium, tamen adhuc censetur bonæ fidei possessor, & prodest ad præscribendum, *Barbosa in c. Quoniam num. 15. de penis*, propter regulam superius allatam, quia scilicet *in dubio melior est conditio possidentis*, ut in his terminis docet *Sanchez. conf. moral. lib. 4. c. 1. dub. 32. num. 27.*, hinc post litem motam interruptitur bona fides, sed lite per scientiam terminata ad favorem possidentis, etiam per non Jus actoris, bona fides profequitur, & prodest ad præscribendum, quia in litis prosecutione usque ad sententiam inclusivè censentur factæ omnes diligentia, neque possessor potest de negligentia notari, *Rota decis. 285. nu. 1. p. 2. Recent.*, sicque quando actor succumbit, præscriptio non interruptitur ex eadem ratione, *Rota decis. 726. num. 8. p. 2. Recent.*

36 Pariter si quis dubitaret, an emiserit votum, tenetur adhibere diligentiam ad investigandam veritatem, quæ adhibita, si adhuc remaneat dubius, non tenetur votum servare, si verò negligat inquirere, & votum non servet, peccat ex eo, quod se exponit periculo violandi votum, *Reginald. summa tom. 2. lib. 18. num. 76.*, *Rebel. de oblig. just. p. 2. lib. 1. q. 3. sec. 2. num. 10. 11.*, *Sanchez. Matrim. lib. 1. disp. 9. nu. 11.*, & *lib. 2. disp. 41. num. 32.*, & ad deca-

log. lib. 1. c. 10. num. 36., & *lib. 4. c. 1. num. 36.*, & post alios *Barbosa in c. ex parte n. 6. de censibus.*

37 Contingat, quod quis rem alienam possideat, primò bona fide, deinde incipiat dubitare, an sit aliena ex quibusdam de novo cognitis, sed negligat inquirere veritatem, quam posset invenire si sollicitè perquiret at post tēpus mortuis quibusdā, qui poterant rem aperire, pœnitens de sua negligentia, velle investigare veritatem, sed hoc invenit impossibile; quia nullus superest informatus, an possit dici hodie constitutus in mala fide, ut teneatur rem sic possessam pauperibus, vel loco pio distribuere, si omninò ignoret dominum, vel si faltem sub dubio dominum nosce dicatur, eidem tradere teneatur, quasi in pœnam suæ negligentia, ut senserunt plures allegati per *Dianam p. 4. tract. 3.*, qui est de conscientia dubia, *resol. 29. in principio*, qui tamen videtur approbare sententiam, *Bonacina de contract. disp. 1. quest. 2. pu. 2. n. 8.*, Ubi quod non teneatur ad restitutionem, quia licet peccaverit negligendo investigare veritatem, tamen cum hodie sibi impossibile sit eam consequi, & ceperit possidere bona fide, neque alibi inveniatur imposita pœna talis negligentia de re distribuenda pauperibus, idè posse perseverare in possessione ejusdem, quasi ad pristinam fidem bonam consolidatus, meliorem habeat conditionem, quam alius qui non possidet.

38 Difficultas potior est, quam diligentiam debeat adhibere, qui dubitat de validitate sui baptismatis, & potioritas fundatur in necessitate baptismi ad consequendam vitam eternam, nam *Jo. c. 3. habetur, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*, sicut ergo quisque debet esse de sua salute sollicitus, ita dubius debet necessariam diligentiam adhibere; ad solutionem cujus difficultatis aliqua sunt præmitenda.

39 Primò, quod dubium potest esse triplex, primum negativum, secundum positivum, & utriusque consistit in facto, tertium verò vocari potest dubium Juris.

Primum scilicet negativum est, quando nulla est ratio, nullum fundamentum, nulla sufficiens coniectura de baptismato collato, vel non collato, ut si, reperiat in-

an ex

fantulus expositus sine ullo testimonio collati baptismatis, vel etiam incertum est, an ex fidelibus, vel infidelibus ortū traxerit, & in hoc casu omninò erit puer baptizandus, quod ex Concilio Cartaginensi definitum habemus *in c. placuit de consecrat. dist. 4.*, ibi, *Placuit de Infantibus*, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem Idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo baptizandos esse, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.

40 Unico tamen testimonio creditur in præfenti materia tamquam favorabili, & nemini odiosa notat *glos. in eodem c. Placuit in Vers. testentur*, *Mascard. de probat. conclus. 163.*, *Farinac. quest. 63. num. 24.*, sicuti in consecrat. Ecclesiæ, similiter Unicum testem sufficere scripsit *Azor. Instit. Moral. part. 1. lib. 10. cap. 26. q. n.*

41 Concordat *tex. in can. cum itaque de consecrat. dist. 4.*, ubi *glos. in Vers. qui testimonium notat*, uni quidem testimonio in hoc casu standum esse, scilicet asserenti quem esse baptizatum, si tamen ille sit Christianus, non verò Judeo, vel Pagano, qui tanquam hostes infensissimi possent decipere, nè baptizetur, qui re vera non erat baptizatus, ex Christianis vero posset testificari etiam pupillus, vel quæ novit in pupillari ætate, concordat pariter *tex. in can. 51. nulla de consecrat. dist. 4.*

42 Dubium positivum contingeret si utrinque essent inditia, coniecturæ probabiles de baptismato collato, tales tamen, ut una coniectura tollatur per aliam, ita ut non relinquatur certitudo moralis, quod baptismus fuerit re vera collatus, & in hoc casu, ne contingat negligentia perniciofa, sacramentum deberet sub conditione conferri, quia tunc nulla fit iniuria sacramento, dum sub conditione confertur, non enim iteratur, si fuerat validum, sed confertur, si nullum præcesserat; ut notat *Quintanaduenas in suis singularibus tract. p. de baptismato singulari primo sub num. 10.*

43 Tertium dubium est, quando certum est baptismum fuisse collatum, sed dubium est de validitate, vel ex parte materiæ, quia materia non erat certa, ut aqua rosacea, vel ex parte formæ, ut si non ex primeret

personas Sanctissimæ Trinitatis; Vel ex parte ministri, ut si dubitetur de intentione baptizantis, ut contingere posset si Judeus baptizaret, posset enim prudenter dubitari, non habuisse intentionem baptizandi, dum ipse non credit id esse necessarium ad salutem, & in hoc casu communis doctor. sententia docet taliter baptizatum, esse iterum baptizandum sub conditione, quia sic eligitur pars tutior in re tam gravi, & tam necessaria, nec fit iniuria sacramento, dū sub conditione confertur, & videndi sunt allegati, per *Quintanaduen. dicto singulari p. de baptismato nu. 11.*, & *seqq. singulari 3. & 4.*

44 In præmissis autem casibus oportet, ut dubium sit morale, & prudens, non autem ex levitate, & scrupulo, dubium autem morale est, quando Intellectus prudenter pensatis pensandis adhuc pendet in æquilibrio, nec magis inclinatur in unam partem, quam in aliam.

45 Observat tamen *Leo Papa sua Epist. 35. cap. 1. ad Episcopum Ravenaten.*, quod in iis casibus dubiis non est præcipitanter incedendum; sed sollicita primum examinatione, & longo tempore discutiendum, nisi supremus finis immineat, refertur à *Gratiano in c. cum itaque de Consecrat. dist. 4.*

46 Ex quibus sequitur, quod Parochus debeat uti omni morali diligentia in inquirendo de validitate baptismi domi ab obstetrice collati in periculo mortis, scilicet an adhibuerit materiam necessariam, & certam, an Usa sit forma ab Ecclesia præscripta nihil addendo, quia inventæ sunt quandoque obstetrices addidisse ex devotione, dicunt ipsæ, nomen B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum quorum additio formam immutat, & Sacramentum reddit nullum, debet pariter inquirere de intentione, & eo majori diligentia, quo ex circumstantiis dubium cresceret, ad allegata per *Quintanadu. supra singul. 7.*

47 Pariter in casu proposito à *Quintanadu. singulari primo* scilicet, si parochus, vel obstetrice confiterentur, se plures baptizasse sine intentione, & ignorarent, seu non recordarentur, qui essent, neque quo tempore hoc egerint, in eo inquam casu Parochus, immò, & illi baptizati à Parocho, aut Obstetrice, debent omni uti diligentia ad inveniendum, si fieri posset, qui nam fuerint taliter, sine intentione baptizati,

Cc

confi.

consideratis circumstantiis temporis, loci, Personarum, puta Parentum, Patrinoꝝ &c., qua diligentia moraliter possibili adhibita, si nequeant inveniri, tunc essent omnes, qui fuerunt ab illo Parocho baptizati, vel ab illa obstetrice, sub conditione baptizandi, quia cum ignorentur illi quorum baptismus fuit nullus, nec sit major ratio de uno quam de alio, ad consulendum salutem æternam omnium, omnes sunt

iterum baptizandi, ne si aliquis prætermittatur ille fortassis periret, & alioquin ministrando sacramentum sub conditione non fit injuria Sacramento, quia si primum fuit Validum, hoc secundum sub conditione collatum non est Sacramentum. Plures casus diligenter proponit *Quintanadu. in suis singularibus*, qui si percurrantur diligenter multum proderint ad praxim.

De Electorum Negligentia.

S U M M A R I A.

- 1 Electores debent infra sex menses eligere ad beneficium, alias provisio devolvitur ad superiorem.
- 2 Computatio temporis fit de momento ad momentum.
- 3 Incipit currere à die scientiæ, alias ignorantia non currit tempus.
- 4 Facta electione, si electus non consentiat, vel renuntiet, vel moriatur, electores iterum habent integrum tempus sex mensum ad noviter eligendum.
- 5 Si electores ordinarii negligant eligere, & elapsis sex mensibus superior eligat, quæ electio suum non sortiatur effectum, Jus revertitur ad primos ordinarios electores.
- 6 In electione ad Cathedrali inferiores Papa habent tantum menses tres ad eligendum, post quos incurrunt negligentiam.
- 7 Papa tamen tenetur eligere pastores, ne eorum diuturna deficientia oves salutis periculum patiantur.
- 8 Legatus de latere, si habeat facultatem conferendi beneficia devoluta, non tenetur conferre infra sex menses.
- 9 Inferior habet solum tres menses ad eligendum Pastorem, ne Ecclesia diutius viduata lupus Oves disperdat.
- 10 Jure Antiquo si Pontifex non conferebat infra mensem beneficia vacantia in curia, devolvebatur ad ordinarium Collatorem, non sic Jure novo.
- 11 Eadem hora quo vacat beneficium incipit currere tempus, & eadem hora completo cursu finitur.
- 12 Ignorantia vacationis præsumitur ad effectum evitandi negligentiam, non sic præsumitur impedimentum, sed alegantia incumbit onus
- 13 Si Electores aliquo modo fuit in causa, ut electores inferiores non eligerent infra sex menses, provisio non devolvitur ad ipsum in poenam.
- 14 Electores tenentur præsentare habentem qualitates requisitas in cap. cum incunctis de elect.
- 15 Negligentes eligere habentem illas qualitates, quas poenas incurrant.
- 16 Quæ poenæ non habent locum, si negligentia versetur circa alia.
- 17 Defectus Civilitatis, quæ est qualitas requisita, ex indulto Pontificio concessio Ferrarig, non facit innurrere poenas negligentia.
- 18 Electores, & Collatores tenentur investigare qualitates ejus, qui eligitur.
- 19 In beneficiis Curatis, eligendus est dignior, quoad forum conscientia, quo vero ad forum externum eligendus est dignus, ne detur locus litibus.
- 20 In ratione dignioris, non consideratur parvus excessus.
- 21 Limitatur in habente liberum Jus præsentandi, aut conferendi.
- 22 Electus, quam primum commodè potest debet certiorari de electione, ut consentiat.
- 23 Neglecta ea certioratione, quæ poena incurritur.
- 24 Quæ pro foro externo præsumitur incurta.
- 25 Negligentia eligentium in eo casu non præjudicat electo.
- 26 Electus ex pluribus capitibus, potest incurrere culpam negligentia.
- 27 Si electus recuset, dum alius non reperiretur Idoneus, peccaret contra Charitatem, & num. 28.

- 29 Electus in Episcopum, si negligat infra tres menses consecrationem suscipere, peccaret.
- 30 Poena negligentis consecrari infra tres menses, est amissio fructuum, si negligat usque ad sex menses privatur ipso Jure Ecclesia.
- 31 Tenetur infra duos menses emittere fidei professionem, alias non facit fructus suos, nu. 32.
- 33 Ad Præturas laicales, etiam eligendi sunt Idonei, & digni, alias eligendo indignum, peccant, & tenentur ad restitutionem.
- 34 Si debentes eligere Imperatorem negligant, & protrahant, & à Papa moniti in negligentia persistant, Papa potest Imperatorem eligere.
- 35 Si Princeps propter nimiam ignaviam, & negligentiam esset deponendus, prius monendus est.
- 36 S. R. E. Cardinales possunt incurrere negligentia culpam, si in electione Romani Pontificis, non servant formam Constitutionis Gregorii XV.
- 37 Negligentes, servare formam datam in cap. Quia propter de electione, qualiter culpentur remissive.
- 38 Omissa invocatione Spiritus Sancti, electores peccant.
- 39 Qui habent vocem in Capitulo si non vocentur possunt dicere de nullitate, consentientes vero, capitulum sustinetur.

ARTICULUS XV.

De Negligentia Electorum.



Lures sunt effectus, quos parit electorum negligentia; quorum alios hic recensio.

Electores possunt esse negligentes, vel ratione temporis, ut quando non eligunt in tempore sibi à jure concessio ad eligendum, & prefixum in odiu negligentium, *Jordan. p. 2. Elucubr. Var. lib. 10. tit. 12. num. 3.*, vel ratione personæ eligendæ, quia non eligunt, quem eligere debent, vel non habentem qualitates requisitas ad electionem passivam, vel etiam ratione personarum activè eligere debentium, ut quando aliquis de Capitulo non vocatur ad electionem, quierat vocandus, de negligentia igitur contingente in electoribus ex dictis capitibus, est præsens inquitio.

Electores debent eligere infra sex Menses ad beneficia, *c. quia diversitatem, & c. Nulla de concessione præbende, & c. de multa de præbend., Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 16. num. 25.*, *Garzias de benefic. p. 10. c. 2. num. 2.*, *Lavor. variar. lucubr. tit. 4. c. 18. num. 12.*; ita ut si infra illud tempus non eligant, incurrant negligentiam, & in poenam negligentia Jus eligendi pro ea vice devolvitur ad proximiorum superiorem, *c. dilecto de supplen. negl. Prælat.*, cui negligentia ignosci non debet, *glos. in c. finali in Verbo currit de elect.*, *per tex. in l. Veluti ff.*

de edendo, & computatio hujus temporis fit de momento in momentum. *Garzias de benefic. p. 10. c. 2. nu. 43.*, nam hoc tempus est datum in odium negligentis, *Francus in c. Statutum de præben. in 6.*, *Garzias dicto c. n. 16.*, *Ottobon. decis. 264. num. 10.*

Intellige tamen data scientia vacationis, nam ignorans vacationem non potest dici negligens, sicque tempus incipit currere à die scientiæ, & non impeditis, *Lavor. de electione canon. c. 18. num. 13.*, idem in cap. *Ne prodefectu de elect.*, statuitur, ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia Prælato non vacet (justo impedimento cessante) & ignorantia non currit tempus, *c. licet de supplen. negl. Prælat.*, *Antonell. de tempore legali lib. 3. de mensibus c. 16. num. 2.*, *constanterq; Rota dixit tempus sex mensum non currere nisi à die scientiæ, quo elector, aut scire potuit, & debuit, decis. 323. num. 1. & 2. recent.*, ubi nu. 2., quod fundans se in hujusmodi negligentia, debet concludenter eam probare, nec sufficit scientia præsumpta ad hunc effectum. *Antonell. de tempore legali lib. 3. c. 16. num. 9.*, quia scientia ad hunc effectum non præsumitur; *Jordan. p. 2. lib. 10. tit. 12., & 25.*

Notabilis tamen est dispositio *tex. in cap. si electio de electione in 6.*, ubi si electio suum non sortiatur effectum, ex alio capite, quæ ex negligentia, nullum exinde præjudicium electo.